



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866

De S. Demetrio Ep. Conf. Alexandriae In Ægypto Sylloge Historico-Critica

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

Opinionem
quæ ea Areo-
pagitæ abju-
dicat, propo-
sitionem certam
esse, conclu-
ditur.

fulata, facilitate solvi queant, uti cuique, qui vel supra sæpissime laudatam Nourrii de Dionysianis Operibus Dissertationem vel alias Anti-Areopagiticorum lucubrationes eolverit, pate-scet, quid adhuc impediatur, quo minus ob rationes in hujus Appendicis decursu allegatas, longe probabiliorem, imo prope etiam certam æstimemus opinionem, quæ Dionysiana Opera Areopagitæ abjudicat? Fuit quidem, cum subtimide tantum hanc amplecterer, quod ob SS. Anastasii Sinaitæ et Maximi auctoritatem, num Dionysiana Opera a S. Dionysio, Alexandrino sub seculum IIII medi-um patriarcha, scholis fuissent illustrata, quam maxime dubitarem; verum rationibus, quas in hac Appendice cap. 1 exposui, feliciter tandem scrupulo illo liberatus, rationibusque aliis, quas ejusdem Appendicis cap. 2 et seq. allegavi, a nullo proavis Patrum, qui prioribus quatuor Ecclesiæ seculis floruerunt, citata fuisse Dionysiana Opera, propemodum effectus omnino certus, negativum, ut vocant, quod ab illorum omnium ac nominatim etiam a mox memorati

Dionysii Alexandrini de hisce silentio repetitur, argumentum tantum apud me valuit, ut vel ob id solum præfata Opera primo Ecclesiæ seculo non- dum fuisse contacta auctoremque proinde non habere Areopagitam prope certum existimarem. Nec dubito, quin in hanc opinionem meam concessuri sint aut omnes aut certe plurimi, qui, quæ mox dictis capp. disserui, attento præjudi- ciiisque vacuo animo expenderint. Ac universim quidem omnia, quæ sub Dionysii Areopagitæ no- mine circumferuntur, Opera Sancto huic abju- dicanda, e negativo, quod mox dixi, argumento opinor; singillatim autem quasdam horum par- tes, conscriptos scilicet de Divinis Nominibus, de- que Cælesti et Ecclesiastica Hierarchiis libros, Dionysio Areopagitæ attribui non posse, viæ non indubitatum etiam faciunt positiva, ut vocant, quæ in hac Appendice cap. 9 et tribus seqq. ad- duxi, argumenta; quod cum ita sit, ne repetendo quæ jam dicta sunt, inutiliter tempus teram, le- ctorem ad capp. proxime dicta brevitatis causa remitto, huicque Appendicis finem impono.

utroque
C. B.

B

DE S. DEMETRIO EP. CONF.

E

ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO

SYLLOGE HISTORICO-CRITICA

I. H.

§ I. Sancti e Fastis Habessinibus memoria, mira ad episcopatum electio probata prodigiose castitas, varique illius temporis Martyres contra Dodwellum exhibentur.

ANNO CHRISTI
CCXXXI.
Sanctus, cu-
jus hodie
apud Habes-
sinos annun-
tiatio,

U^{ndecimus hic post S. Marcum Evangelistam Alexandrinorum Episcopus, rebus inter eum et Origenem gestis vulgatissimus, in sacris tum Æthiopum, tum Coptitarum Fastis ad XII mensis Babæ seu IX Octobris nostri diem ita annuntiat: Demetrius Patr. Alex. Alia item hujus Patriarchæ memoria in Calendario Æthiopicæ ad diem VIII Martii, qui Habessinibus est XII Barmaha, seu Bermahat, isdem plane verbis celebratur. Verum posterior hæc annuntiatio non emortualem Sancti nostri diem, sed illum, quo intemerata ejus, etiam in conjugio, castitas prodigiose est manifestata, designare videtur: additur enim in Hagiologio Habessino, quod anonymus istius gentis poeta seculo verisimilius XII ineunte concinnavit, hujusmodi dilucidatio: Quia hodie ostendit (S. Demetrius) virtutem virginittatis suæ. Præter hæc dicta via aliquid de Demetrii sanctimonia cultuæ aliunde nobis innotuit, unum si excipias desumptum ex Mystagogia S. Petri, XVII Alexandrinorum episcopi, fragmentum, quod in Epistola Justiniani imperatoris ad Menam tom 5 Conc. col. 651 legitur, ubi cum S. Heracla vocatur Demetrius Beatus Episcopus; et Jobum Ludolfum, a quo in Annotatis ad Fastos Habessinibus Vir dicitur sanctitate et sapientia insignis. Neque aliunde Demetrii sanctitati ac cultui obesse aliquid reperi, cur ei in Actis nostris locus denegaretur.}

2 Pluribus porro de ejus gestis agunt citatus poeta Habessinibus, et Abulbaracatus, scriptor Arabs, apud Vanselebium; item Abrahamus Echellensis Maronita in Chronico Orientali anno 1651 typis Parisiensibus edito. Atque imprimis mira sunt, quæ de Demetrii ad patriarchalem dignitatem electione posteriores duo scriptores literis consignarunt, indicantes simul, quam vivendi normam ante episcopatum fuerit secutus. Scilicet nemo hæc, nisi cælebs, Apostolicam S. Marci cathedram Alexandriæ ascenderat. Demetrius, vir agricola, qui jam pridem patris sui filiam duxerat uxorem, cum eaque illibatam servarat virginittatem, vitam labore manuum sustentabat: quo tempore patriarcham Julianum lethalis morbus corripuit et ad extrema deduxit. Huic autem nocte, obitum suum præcedente, Deum haud dubie impense precato, ut gregi jamjam a sese relinquendo vigilem, dignumque Marci cathedra pastorem sufficeret, atque hunc agonizanti sibi patefacere ne gravaretur, adstitit continuo angelus, successoremque hisce verbis indicavit: Qui ingredietur ad te racemum afferens uvæ, ipse patriarcha erit post te. Quod dum populo, quis ei post mortem successurus esset, interroganti, moribundus Julianus semel atque iterum retulisset, omnes, rei insolentia perculsi (nec enim ineunte Martio, quo id fieri oportebat, maturas uvæ reperiri, nec Præsulem, animam jam agentem, superstitem esse ad vindemiam posse, judicabant) senem vi morbi oppressum nescire, quid diceret, in animum inducebant; donec

licet uxora-
tus, patriar-
cha Alexan-
driæ prodigiose electus

Demetrium

AUCTORE
I. H.

Demetrium, qui vel pridie, vel eo forte mane vineam pulans relictum casu uxorem racemum invenerat, hunc ad Patriarcham deferentem conspicerent. Atque hic mirari universi, hominemque, cælitus quidem sibi destinatum, sed, quod episcopatu indignum se reputabat, fugam meditantem comprehendere, ferreis vinculis constringere, atque, jam erepto e vivis Juliano, Patriarcham consecrandum curare. Quæ omnia, etsi fortasse statim commentis annumeranda non sint quod tamen non apud alios, quam a seculi fine, quo evenerint, multum remotos, ac plurimorum a scriptoribus variis sphalmatum convictos legantur, indubiam apud omnes fidem habitura, non existimo. Præterea mirandum summopere, admitti hic ab Abulbaracato non ex duodecim sacerdotibus unum, prout ex S. Marci institutione fieri oportere falso contenderat, (vide Vanseebii Historiam Ecclesiæ Alexandriæ P. I, cap. 5, ubi hunc eligendi morem usque ad Alexandrum, XIX Alexandriæ episcopum, perperam extendit) sed laicum, sed uxoratum ad patriarchalem thronum totius populi consensu evectum. Neque, ut ab hoc errore eximatur, faciunt aliquid, quæ a Seldeno, ejusdem opinionis fautore, ratiunculæ adferuntur, quasque ex professo, ut aiunt, apud Sollerium nostrum in Patriarchis Alexandrinis refutatas invenies.

anno Christi
180, sedet
annis 45 in-
completo.

3 Hæc autem, tot clara prodigiis, Demetrii electio secundum accuratam Sollerii citati de eo Chronologiam, quam statim compendiose hic referemus, IV vel III Nonas Martii est illiganda, ne in assignato ab Eusebio aliisque episcopatus ejus tempore a vero aberremus, ut ex sequentibus liquet. Mortuo Juliano die IV Martii anni CLXXXIX, eodem aut sequenti die Alexandrinæ ecclesiæ præficitur Demetrius, sedemque occupat annis XLII (qui numerus in patriarchali Echelenis Historia pro XXXII substituendus) diebus CCXIX, seu mensibus VII cum IV diebus. Hunc autem annorum, mensium dierumque numerum IV vel V Martii anni CLXXXIX si addas, incidis in VIII vel IX Octobris diem anni CCXXXI, quorum alterutro verisimilius vivendi finem fecit, sacrumque apud Ægyptios cultum obtinuit. Ita fere Sollerius laudatus in sua Patriarcharum Alexandrinorum Chronologia. Utinam modo probabiliter adeo de reliquis, quæ sub Demetrio et ab eo gesta leguntur, atque huc a Majoribus nostris, quoties de Demetrio incidebat sermo, remittuntur discutienda, statuere liceret! Sperarant scilicet illi, fore, ut, quæ toties frustra ipsi expetierant, ampliora nos de hoc Patriarcha documenta aliquando nancisceremur. Id vero cum secus evenerit, ea tantum, quæ et videre, et notare ipsis licuit, investigemus.

Impugnata
illius casti-
tas

4 Præ ceteris, quod, quo tempore acciderit, ægre ex aliquo definias, illud occurrit prodigium, quo suam uxorisque castimoniam frequentissimo populo sanctus Patriarcha palam comprobavit. Ægerime ferebant Alexandrinorum plurimi, occultiora sibi a castissimo Præsule, cui penetrandi hominum corda Deus gratiam concesserat, delicta objici, metuebantque, ne, quod hactenus Evangelico ductus præcepto clam aliis fecerat, id tandem, comperta eorum in nequitiis pertinacia, etiam congregato coram populo propararet. Hinc mussitare primum inter se, tum, ut Antistitis sui auctoritatem penitus elevarent, palam edicere haud reformidabant: Cum Vir iste (verba sunt Historiæ patriarchalis) sit matrimonio copulatus, quomodo nos reprehendit, præsertim cum

hactenus non nisi virgo super hoc sederit throno? D
Ubi dum Jobus Ludolfus, vir cetera clarissimus, at sacerdotum conjugii nimium favens, interrogat: Si ipsi Alexandrini virum cum uxore copulatum patriarcham elegerunt et stabiliverunt, QUO ANIMO VEL JURE postea potuerunt murmurare? Respondere sibi ipse poterat: animo id factum calumniandi, jure autem omnino nullo, cum illud tum temporis nulla lege fuisset prohibitum. Sed ad rem. Ne porro disperso in vulgus istiusmodi obloquia ingens detrimentum Pontificis famæ adferrent, Deus, demisso e cælis nuncio. Demetrium bono esse animo jussit, simulque prodigiis, quo malecolorum obtreactiones in centos abirent, ordinem pandit. Sequenti statim die (erat is feria V Majoris hebdomadæ) divina fretus potentia sanctus Patriarcha, celebrato sanctissimo Missæ Sacrificio, clericis laicisque per archidiaconum indicit, ne quis ecclesia egrediretur, sed quam possent, proxime ad thronum episcopalem omnes accederent.

5 His peractis, linteum, quo adstans uxor præcingebatur, ardentibus repleti prunis, tum thus iis injici, atque ita circumire conjugem et adolere incensum jussit. Cum vero id, intacto semper linteo, diuturno satis temporis spatio peragi miraretur populus, ac deinde Præsulem miraculi causas exponenter audivisset, illico Pastoris uxorisque ejus involatam omnino agnovit virginitatem. Atque id est prodigium illud celebre, cujus postea solennem memoriam quotannis octava Martii die agendam ecclesia Alexandrina constituit, et de quo laudatus supra poeta Habessus ad citatum diem in hunc modum cecinit: Salutem Demetrio... hodie virginitatis suæ virtutem per gratiam Christi ostendit, ignem in sinu suo et in uxoris suæ tunica involvens. De ea enim homines dubitaverant. At cur festum illud eo die, in quem, si vera sunt, quæ de Paschatis observatione constituit Demetrius (de quo post) quæque passim ab Orientalibus admittuntur, feria V Major incidere haud potuit, celebretur, quis vel conjiciendo assequatur? Agebat autem tunc Demetrius, ut ex ejus hac occasione habito ad populum sermone constat, annum citæ suæ tertium et sexagesimum, curriebatque octavus supra quadragessimus, ex quo conjugium cum patruæ suæ inierat. Unde planum quidem fit, eum ætatis anno XV aut XVI nondum completo matrimonio se junxisse: sed (quæ est animadversio Sollerii in Demetrio num. 119 post Tillemontium nota 21 in Origenem) lucis hinc nihil affunditur determinando, quo id contigerit, patriarchatus anno. Nam neque id recte illius fini, ne jam ab anno vigesimo patriarchalem dignitatem adeptus; neque initio illigaveris, ne, quod, silentibus omnibus, æque a verisimili abluat, ad sextum supra centesimum annum vitam protraxisse dicatur. Quamquam, si indubie auctoritatis esset Historia patriarchalis, ac verba hæc, Demetrii post reatum paulo ante prodigium ad populum allocationi subnexa: Quibus dictis, quievit ipse cum uxore sua: eum statim e vivis excessisse, significarent, priori standum opinione foret. Verum cum non minus plane quietam postea et ab omni suspitione immunem cum uxore habitationem possint indicare, unum id superest, ut, dum aliunde certius constet, rem in medio relinquamus, et ad ea, quæ Demetrium ulterius spectant, progrediamur.

6 Celeberrima est inter eruditos de Epactarum inventore disceptatio, quorum alii hanc laudem

miraculo vindicant quotannis celebratur Alexandria.

E

F

Cyelt Epactarium

A nostro Demetrio, alii aliis tribuendam censent. Ac Scaliger quidem in præclaro de Anno Ægyptiorum Opere ita de cyclo Paschali Alexandrinorum recte scribit: Primi omnium Alexandrini et cyclum decemnovennale instituerunt, et Epactas docuerunt, qui in primo aut secundo mense novilunium indicarent. Tum Leo M., peritiam sacrarum temporum Alexandrino episcopo adscribens, ita cap. 64 habet ad Marcianum imperatorem: Studuerunt itaque sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitas tradita esse videbatur peritia, per quam, quando singuli dies predictæ solemnitatibus evenirent. Sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus scriptis ad longinquiores ecclesias judicium generaliter percurreret. Rem non nihil clarius exhibet Eutychius Alexandrinus tom. 1 Annal. Alexandr. hisce verbis: In illo tempore scripsit Demetrius, patriarcha Alexandrinus, ad Gadium episcopum Hierosolymitanum, ad Maximum patriarcham Antiochenum et ad Victorem patriarcham Romanum de ratione computi Paschalis et jejunii Christianorum, et quomodo a Paschate Judeorum deducatur; de qua re multos exararunt libellos et epistolas, donec eo, qui jam observatur, modo Christianorum Pascha constituerent. Ex quibus licet non omnino quidem constet, cyclum hunc a Demetrio primum excogitatum, patet tamen, hallucinatum fuisse Scaligerum, dum, originem Epactarum temporibus Diocletiani antiquiorem non esse, arbitratus est.

reperitur as-

7 Omnium apertissime loquitur Habessinus poeta in elogio, quod ita ad Demetrium dirigit: Salutem Demetrio, institutori abstinence a potu, et constitutori ciborum in Pentecoste. Nisi ipse per Spiritum Sanctum revelasset, quomodo repertus fuisset computus, ejus nomen Epacte? Ubi obiter cum Jobo Ludolfo, Orientalium rerum ac linguarum scientissimo, qui hic pro abstinence legit jejuniorum, notare juvat, prioribus verbis significari, Demetrium stata jejunia ordinasse, quibus non tantum a cibo, sed et a potu abstinere, atque ea tempore Pentecostes cessare jussisse: unde et intelligi datur, quid abstinence illa a potu, quid cibi Pentecostales indigent, quod utrumque nescire se, professus est Sollerius in Patriarchis Alex. num. 114. Jam vero ex hoc maxime et superiori Eutychiei testimonio prælaudatus Ludolfus concludit, Epactarum inventionem a Demetrio esse profectam. Præterea refutat Pearsonium, Eutychio, Demetrium laudanti, fidem ideo derogantem, quod alios pro aliis Hierosolymorum et Antiochiæ episcopos adstruxerit, quodque Palæstinæ præsules in sua ad Victorem, Romanum Pontificem, epistola nullam Demetrii fecerint mentionem. Etenim Eutychius, etsi in episcopis, ut ex Eusebio lib. v Hist. Eccl. liquet, nominandis aberrans, minime hic agit de controversia Paschali, an scilicet festum illud Dominica die, an decimaquarta lunæ sit celebrandum, in qua causa nullæ Demetrii partes fuerunt; sed de ratione computi Paschalis pro die Dominica per Epactas investiganda. Neque Palæstinæ episcopi, Pontifici Romano de celebratione Paschatis, non de reperiendo Epactarum cyclo, scribentes, Demetrii necessario meminisse debebant. Addit porro Ludolfus, verisimile esse, istam Epactarum constitutionem seu so-

lennem earum in omnes ecclesias, saltem Orientales, introductionem sine conventu et concilio reliquorum episcoporum factam non fuisse. Quam opinionem Sollerius in Demetrio num. 116 suo pariter suffragio confirmat, citans cum Ludolfo poetam Habessinum anonymum, ad diem 11 Hatur, id est xxix Octobris, ita canentem: Salutem vobis sacerdotibus laude et encomio dignis, qui cito cucurristis (Sollerio concurreristis) sine unctione in unum locum ad congregationem et conventum, computi Epactarum, quem Spiritus S. docuerat, a Demetrio patre (ut) acciperetis notitiam.

8 Certiora sunt, quæ de plurimorum martyrio, hujus Patriarchæ tempore tolerato, memoriæ prodita reperiuntur. Anno nempe Christi cccii, patriarchatus Demetrii xiv atrocissima sub Severo, qui jam ab anno cxciii, 11 Junii, interfecto Didio Juliano, imperii clavo fuerat admotus, adversus ecclesias exarsit persecutio, quam, refragantibus antiquissimis scriptoribus, præsertim Eusebio lib. 6 Hist. Eccl., frustra imminuere conatur Dodwellus: tanta enim rabie ea tempestate in Christianos sæviebatur, ut, S. Hieronymo cap. 52 de Viris illust., et citato Eusebio testibus, instare jam tempus artichristi passim putaretur. Severus ipse, eo tempore in Ægypto commorans, præsentia sua edictisque severissimis usque adeo persecutionem illam incendebat; ut innumerabilis Christianorum multitudo, per totam Ægyptum variis cruciatibus supplicisque vexata, gloriosum pro Christi nomine certamen subierit. Licet autem universæ istius regionis provinciæ sanctorum Martyrum sanguine rigarentur, præcipuum tamen Severianæ crudelitatis theatrum Alexandrinorum civitas erat: illuc enim, quotquot in Thebaidæ ceterisque Ægypti tractibus singularis fortitudinis aut excellentiæ Christiani comprehendebantur, dirissimis modis excarnificandi trucidandique raptabantur. Hoc inter antiquorum auctorum scriptis maxime inclyti fuere Leonides, Origenis pater, cui a quibusdam comites adduntur Arator, Quiriacus, Basilis, de quibus Opus nostrum ad xxii Aprilis consule: tum Phlarchus frater S. Heraclæ. Demetrii successoris, Sereni gemini, Heraclides atque Heron, omnes Origenis discipuli: ac postremum unus ex apparitoribus, qui S. Potamienam, de qua statim, ad supplicium abduxerant, nomine Basilides. E femineo sexu vulgatissimæ sunt Heraïs quædam, adhuc cathechumena, et Potamiæna una cum matre Marcella, quæ igne consumptæ fuerunt. Plura de his aliisque, ex Eusebii Historia et aliunde relata, invenire est apud nos tom. v Junii pag. 355 et seqq. Hujus pariter persecutionis tempori non immerito illigatur, quod Chronicon Orientale in Juliano patriarcha Alexandrino in hunc modum refert: Post hunc (Julianum) nullus episcopus manere potuit Alexandriæ; sed clam exiebant, et constituebant sacerdotes omni in loco. Difficultatem vero, quam hic particula illa post non exiguum parit ob extensionem annorum xiv, non lubet discutere, cum eam Sollerius noster in Patriarchis Alexandr. num. 122 sat multis examinaverit, et clandestinum episcoporum Alexandria discessum non alicui seditioni, licet aliòqui satis in illa civitate frequenti, sed Severianæ persecutioni adscribendum, validis rationibus comprobavit. His ita discussis, ad Demetrium revertamur.

AUCTOR
I. H.

ac plures ejus
tempore mar-
tyrio in Ægy-
pto celebres
adferuntur.

E

F

AUCTORE
I. H.

§ II. Lata a S. Demetrio in Origenem exilii sententia examinatur.

Difficillimæ
de Origene
controver-
sæ status,
quibusdam
p̄notatis.

Res modo, ab uno alterove decessorum meorum ad hunc diem remissa, tractanda occurrit, Origenis videlicet condemnatio, ejusque ab urbe Alexandrina, adlaborante gemina cum synodo Demetrio, emigratio. Eam vero intricatam adeo, ac tot tantisque difficultatibus obnoctiam reperere plurimi, ut post diurnam antiquorum æque ac recentiorum auctorum, tam pro Origene, quam adversus eum scribentium, disquisitionem, via non hæsilaverint dubii, an cum Eusebio, qui, quod maxime notandum, plus certo, quam par erat, Origeni favit, Demetrium, hic humani quidpiam passum, an vero Origenem hac merito pena multatum sustinerent. Ut autem equum de re illa ferri queat iudicium, duo imprimis sunt investiganda, tempus nimirum, quo Origenes Alexandria profugerit

B condemnatus, et ea, quæ ibidem ante condemnationem fecerit et in litteras miserit. Itaque anno patriarchatus Demetrii xiv, Christi cclii, Origenes, cum decimum necdum et septimum ætatis annum compleverat, patre per illustre martyrium orbatus, ut victum sibi, ac forte etiam matris et sex fratribus omnium egenis, compararet, tanto studio humaniores, quas vocant, litteras docere, ac deinde Catechesæ Opus suscipere aggressus est, ut postea a Demetrio, ... inquit S. Hieronymus Script. Eccl. cap. 54, in locum Clementis confirmatus per multos annos doctrinæ fama floruerit. Cum vero non viri modo, sed et sequioris sæculi plurimæ, etiam juniores, discendi ergo ad illum indies constuerent, ne quid sinistri de se suspicari homines possent, seu, ut Eusebius Hist. Eccl. lib. 6, cap. 8 ait, ut omnem obsceni rumoris et calumniæ occasionem infidelibus adimeret, dictum Servatoris Matth. 19 : Sunt quidam Eunuchi, qui seipso castraverunt propter regnum cælorum, re ipsa in se exsequi adorsus est, ætatis anno secundum Huëtium ex Baronio vigesimo primo. Addit Eusebius citatus, Origenem summam adhibuisse diligentiam, ne cuiquam suum illud facinus innotesceret. In quo paulo ante dictorum oblitus plane videtur : si enim, ut superius dixerat (animadvertio est Huëtii) id fecerit Origenes, ut malevolorum, ut maxime infidelium, ora obstrueret, omnemque a se impudicitæ suspicionem apud homines removeret; quomodo velle potuit factum illud occultare, quod ipsius permagui intererat propagari?

proponitur.

10 Quæ res cum ad Demetrii aures pervenisset, juvenis quidem admiratus est audaciam, facinus tamen minime probavit : at neque propterea a docendi munere Origenem amovendum censuit. Perrexit ergo is instruendorum catechumenorum aliorumque curam gerere, tempus interim, si quod ei a docendi opere vacaret, conscribendis in varios Scripturæ loco commentariis, aliis item lucubrationibus, quas inter famosus de Principiis liber numerandus venit, in lucem edendis solitus impendere. Aliquot deinde post annis negotiorum quorundam causa commendatitiis Episcopi sui literis in Achaïam profectus Cæsaream Palæstinæ venit, ibique, non consulto ante

sive per epistolam, sive per nuncium Demetrio, a Theoctisto, illius civitatis pontifice, approbante Alexandro Hierosolymorum antistite, presbyter est ordinatus anno Christi verisimiliter 228, ætatis autem suæ 43. Ordinationem hanc ægre tulit Demetrius, de eaque apud laudatos episcopos aliosque conquestus est. Rediit tamen Alexandriam jam sacerdos Origenes, ibidemque consueto munere functus est, donec inde a gemina condemnatus synodo, vel paulo ante, ut volunt aliqui, Cæsaream se proripuit anno 231.

11 Atque hic est, ubi tantopere eruditorum torquentur ingenia, ut suam de damnato Origene sententiam ferant, aliis condemnationem illam inique et ex odio invidiæque Demetrii profectam, aliis ob susceptum ab extraneo episcopo sacerdotium, quibusdam propter lapsum in fide tempore persecutionis, ac demum aliis ob sparsum in ejus libris, præsertim eo, qui de Principiis inscribitur, hæresis venenum æquissime latam substinentibus. Priusquam tot inter dissentientium conflictationes quid statuendum videatur, aperiam, juxerit singulorum rationes proferre, et, utrum sint firmæ satis, dispicere. Ad primos itaque quod spectat, duces hi sequuntur Eusebium, Arianae impietatis notissimum spectatorem, imo, ut eum vocat S. Hieronymus in libro Apolog. contra Rufinum, hominem hæreticum, Arianae factionis signiferum ac principem, et vel ideo orthodoxo præsulî Demetrio infensissimum. Hujus ergo libro 6 Hist. Eccl. ita loquentis allegant auctoritatem : Ac tum quidem Demetrius erat ejusmodi. Sed non multo post tempore, cum eum (Originem) prosperis successibus in die augeti, et magnum jam atque illustrem omnium sermonibus celebrari eum videret, humani quidpiam (invidiæ nempe stimulos) passus, literis ad omnes ubique terrarum episcopos scriptis, facinus illud Origenis (de quo num. 8) proscindere tamquam absurdissimum cepit. At paucis interjectis, Tunc igitur, inquit, cum Origenes ingenti gloria floreret et apud cunctos ubique mortales virtutis ac sapientiæ causa maximum nomen esset consecutus; Demetrius, quando nihil aliud habebat, quod ei objiceret, facinus illud, quod adolescens olim patraverat, criminatus est. Quid autem, nisi et ipse Arianus homo summa in Demetrium Catholicam invidiam odioque flagaret, opus ei erat eicigo ejusdem libri, ejusdem capituli spatio istius odii ac invidiæ mentio iterata? Neque mihius, puto, sanctum Patriarcham habuit in libris illis, quos pro Origene Apologeticos solus ipse conscripsit, nullam in iis partem habente sancto martyre Pamphilo, prout S. Hieronymus lib. 1 contra Rufinum ex his Eusebii ipsius verbis manifestissime evincit : Et ipse quidem (S. Pamphilus) proprii Operis nihil omnino scripsit, exceptis epistolis, quas ad amicos forte mittebat; nisi forte sex integros libros, aut magnam eorum partem ita quis possit conscribere, ut tamen proprii Operis nihil omnino scripsisse dicendus sit. Plura huc facientia allegare non lubet, quod hæc tom. VIII Septembris Operis nostri in vita S. Hieronymi num. 349 et seqq. a Stillingio prolucius exposita legantur, passimque in libris S. Hieronymi adversus Rufinum occurrant.

12 Verum neque sic satis Sancto nostro aspersa ab Eusebio, ejusque sequacibus invidiæ macula delersa videtur, nisi et aliunde hanc persecutionem promeritus Origenes ostendatur. Narra-
rat Photius in Bibliotheca Cod. 118, duas a Demetrio

atque non ex
odio invidia-
que Deme-
trii, ut con-
tendit Euse-
bius.ejus opinio-
nis falsitas
ex aliorum
testimoniis.

A metrio adversus Origenem synodos fuisse Alexandriæ coactas, in quarum priore, non adempto presbyterii honore, Alexandria expelli debere iudicatus est: in posteriore vero, ad quam aliquot Ægypti episcopi convenerant, etiam sacerdotio fertur exutus, atque huic damnationi, teste S. Hieronymo a Rufino lib. 2 Apol. citato, totius pene orbis episcopi subscripserunt, exceptis Palæstinæ, Arabiæ, Phœnicis et Achaïæ sacerdotibus. An et hunc totius pene orbis antistitem, non sanctitate minus, quam eruditione conspicuorum, in Origenis damnationem consensum odio, et conceptæ ex privati hominis fama invidiæ adscribendum pulemus? Quid ad remota procul ab urbe Alexandrina Origeniani nominis celebritas spectare tantopere poterat, ut sine ullo prorsus emolumento turpissimæ criminis labe ulro se volentesque inficerent? An et S. Hieronymus lib. 2 contra Rufinum ex odio in Origenem dicit, scripsisse eum epistolam, qua tota Demetrii Alexandrinæ urbis pontificem lacerat, et in totius orbis episcopos et clericos invehitur; et frustra ab ecclesiis excommunicatum esse se dicit? Ex quibus verbis arbitror liquere, aut nunquam ab Hieronymo scripta, aut certe ex Eusebio pro Origene Apologia non prudenter satis (ut ipse faletur) ab eo fuisse dictata, quæ recitat Rufinus ex fragmento epistolæ, quam olim scripserat Hieronymus ad S. Paulam, et in qua post enarratum Origenianorum Operum elenchum ita dicitur concludere: Pro hoc labore quid accepit (Origenes) pretii? Damnatur a Demetrio episcopo.... in damnationem ejus consentit urbs Roma: ipsa (alii habent: in damnationem ejus consentit orbis. Roma ipsa) contra hunc cogit senatum, non propter dogmatum novitatem, non propter heresim, ut nunc adversum eum rabidi canes simulant; sed quia gloriam eloquentiæ ejus et scientiæ ferre non poterant, et illo dicente, omnes muti putabantur. Ubi non omnia Hieronymiana esse, patet ex iis, quæ statim S. Doctor in hunc modum subjicit: Hæc quare scripserim, et ad pauperes lucernæ igniculum cito sermone, sed non cauto dictaverim, potestis intelligere, si Epicuros et Aristippos cogitetis. Ubi illud: Sermone non cauto videtur innuere, S. Hieronymum in alienis referendis plusculum sibi licere credidisse, maxime cum moneret, sermone non cauto esse prolata: nisi quis malit, hæc ab eo, antequam Origenis hæresim plenius nosset, conscripta fuisse. Sed plura dein ad Hieronymum pertinentia sequuntur.

B Apologia non prudenter satis (ut ipse faletur) ab eo fuisse dictata, quæ recitat Rufinus ex fragmento epistolæ, quam olim scripserat Hieronymus ad S. Paulam, et in qua post enarratum Origenianorum Operum elenchum ita dicitur concludere: Pro hoc labore quid accepit (Origenes) pretii? Damnatur a Demetrio episcopo.... in damnationem ejus consentit urbs Roma: ipsa (alii habent: in damnationem ejus consentit orbis. Roma ipsa) contra hunc cogit senatum, non propter dogmatum novitatem, non propter heresim, ut nunc adversum eum rabidi canes simulant; sed quia gloriam eloquentiæ ejus et scientiæ ferre non poterant, et illo dicente, omnes muti putabantur. Ubi non omnia Hieronymiana esse, patet ex iis, quæ statim S. Doctor in hunc modum subjicit: Hæc quare scripserim, et ad pauperes lucernæ igniculum cito sermone, sed non cauto dictaverim, potestis intelligere, si Epicuros et Aristippos cogitetis. Ubi illud: Sermone non cauto videtur innuere, S. Hieronymum in alienis referendis plusculum sibi licere credidisse, maxime cum moneret, sermone non cauto esse prolata: nisi quis malit, hæc ab eo, antequam Origenis hæresim plenius nosset, conscripta fuisse. Sed plura dein ad Hieronymum pertinentia sequuntur.

et temporum

C 13 Duo interim præter jam allata circa confictum illud ab Eusebio Demetrii in Origenem odium operæ pretium est indagare: alterum est tempus ipsum, quo id Demetrius tanto cum fragore apud omnes ubique terrarum episcopos spargere cepit; alterum, an a Demetrio, ut suo in inimicum livori faceret satis, hoc unum objici crimen potuerit, quod olim in se juvenis Origenes commisisset. Scilicet erupit illud otium postquam jam annos circiter xxxi a sui mutilatione Origenem in urbe sua incredibili cum omnium applausu docentem non tantum benignissime habuit, sed et eum Roma Alexandriam reversum vehementer hortatus fuit, ac tantum non supplicavit, ut fratrum utilitati, docendi munus prosequens, impigre deserviret, ut habet ipse Eusebius lib. 6 Hist. Eccl. cap. 14. Quis sanus, si odio in alterum, ex hujus gloria concepto, flagret, hortabitur eum, ut munus, ex quo tantum adver-

sario laudis accessisse, et porro accessurum existimat, dignetur suscipere? Erupit, postquam Origenem ab Arabiæ Duce, doctrinæ illius fama permoto, per literas, ut ad se properaret, rogatum, confestim in Arabiam dimisit, (Eusebius cit. cap. 19) minime sollicitus de novo et insigni gloriæ incremento, quod procul dubio hosti suo obventurum prævidebat. Erupit denique acerbissimum illud odium, cum jam Alexandri imperatoris matrem, non exiguum ex hoc itinere honorem comparaturus, permittere utique Demetrio, Antiochiæ inviserat Origenes. Quam rem Eusebius lib. cit., cap. 21 ita exponit: Porro mater Alexandri imperatoris, cum Origenis nomen ubique jam celeberrimum haberetur, adeo ut ad ipsius quoque aures perlatum esset, conspectu ejus frui, et scientiam rerum divinarum, quam omnes in eo viro magnopere admirabantur, certissimo experimento agnoscere concupivit. Igitur illa Antiochiæ degens, missos militari satellitio (non simplici, ut fecerat duæ Arabiæ, epistola) hominem accersit et impetravit a nihil opponente Demetrio; qui, si in immensum indies excrescentem subtili sui famam ægre ferre potuisset, tergiversatus haud dubie, summumque, quod ecclesiæ ex laboriosissimi hominis absentia oriturum erat, detrimentum aut quid aliud causatus fuisset.

accrere
I. H.

14 Adhæc sur saltem ne vel minima latentis odii invidiæ istius scintilla sese manifestavit, cum tantus auditorum numerus a primo lucis ortu (verba sunt Eusebii lib. cit. cap. 15) usque ad vesperam scholam ejus (Origenis) frequentaret, ut per eos ne respirare quidem ipsi liceret? Cum, ut honorifice magis de se homines sentirent, adscito sibi in socium eruditissimo Heraclæ, Demetrii dein successoris, institutionem eorum, qui primis adhuc imbuerentur rudimentis, mandavit; sibi vero soli perfectiores docendos reservavit? Verum, inquiunt, invidiæ jam sensim accrescentis specimen egregium dedit Demetrius, quando ob excitationem Alexandriæ gravissimum bellum (annum notat Huëtius lib. 1, cap. 2, num. 6, Christi 215, Caracallæ 5, Origenis circiter 30) clam inde profugum et Cæsareæ commorantem per litteras revocavit Origenem; imo missis ecclesiæ suæ diaconis reditum ejus urgere non destitit, donec Alexandriam reversus consuetum munus obierit, ut refert Eusebius cit. cap. 14. Sufferre enim haud poterat Demetrius, Origeni, adhuc juveni et laico, tantum ab illius regionis episcopis honorem deferri, ut ei publice in ecclesia disserendi et sacras Litteras exponendi copiam facerent. Hinc Demetrii ad Alexandrum Hierosolymorum, et Theoctistum Cæsareensem antistites querimoniam. Nempe invidiæ tribuimus, si de eo, quod contra ecclesiarum omnium consuetudinem homini suæ ditionis ab alienis episcopis concessum, Demetrius existimabat, quodque ideo ipse nunquam in ecclesia sua fieri permiserat, litteris amicis non autem (neque enim, si secus foret, Eusebius id reticisset) querulis admodum et, ut Halloicius Vit. Orig. lib. 1, cap. xi sat crude scribit, amarulentis expostularit? Si magistrum gregi suo hactenus perutilem, jamque nimis forte diu absentem, per epistolam primum, ac dein per missos diaconos Alexandriam reduxerit, nihil tamen reduci Origeni exprobrans, sed ad consuetum docendi munus perbenigne admittens, uti postea cum eo jam presbytero processit? An autem, quod initio num. 13 tractandum

adjunctis res-
felleitur;

AUCTOR
I. H.

hic dixeram, non aliud, quam quod juvenis Origenes admiserat, crimen objici ei potuerit, ex post dicendis liquebit. Interim prædicta omnia meo quidem judicio abunde videntur sufficere, ut livorem omnem a Demetrii animo remotissimum fuisse credamus. Illos modo audiamus, qui Origenem ob susceptum Cæsareæ sacerdotium jure damnatum contendunt.

neque ob susceptum sacerdotium, pro quo canon 21 Apost

15 Hi non illicitam dumtaxat et ecclesiasticis penis dignissimam, sed et tantum non invalidam Origenis ordinationem probare nituntur. Ac primo quidem Origenem perperam ordinatum volunt, quod non naturæ vitio hominumve sceleratorum injuria, se d suo ipsius crimine eunuchus esset factus, statuente Apostolorum canone XXI ex interpretatione Hervetiana: Qui seipsum mutilavit, ne sit clericus: est (Græce additur: enim) sui homicida, et Dei officii hostis. Quem canonem a primitivæ Ecclesiæ præsulibus etiam ante Origenem editum fuisse, avertit, ob exortam nempe superiori seculo hæresim Valesiorum, qui varios Scripturæ locos, præsertim Matt. XIX. 12. perverse interpretati, eunuchos se faciebant. Cur enim, inquit, Demetrius, de spontanea Origenis exsecutione certior factus, bono eum esse animo jussit? Cur, si nullam per hoc ecclesiasticam regulam transiit, tam solícite Origenes cavet, ut id, quod fecerat, alios omnino lateret? Nempe ne canonica pena sibi infligeretur. Deinde, dicunt, ut quis ad sacrum presbyteratus ordinem legitime promoveretur, requirebatur consensus cleri populique, et quidem istius ecclesiæ, in qua sacerdotio initandus aut natus, aut saltem non exiguo temporis spatio conversatus fuisset: quod ilcirco fuerat sancitum, ut, si quis e clero populove aliquid, quod ordinando objiceret, haberet, palam proferret, itaque oriturum ex indigni assumptione scandalum ab Ecclesia propulsaret.

consensusque cleri et populi

16 Hanc in rem citant primum ea, quæ Eusebius Hist. Eccl. lib. 6, cap. 43 ex epistola S. Cornelii, Romanorum episcopi, ad Fabium, Antiochenæ ecclesiæ præsulem, de ordinatione Novatiani (quem, ut advertit Valesius Annotatione in cap. 45 Hist. Eccl., Eusebius perperam vocat Novatum) narrat, videlicet, episcopum, qui a toto clero multisque laicis impediabatur, Græce δε διακαλούμενος υπό παντός του κλήρου, αλλά και λαϊκῶν πολλῶν, ne ad sacerdotalem dignitatem Novatianus eveheretur, postulas, ut hunc solum ordinari a se paterentur. Tum adferunt, quæ Patres concilii Nicæni, seculo ferme integro ab Origenis ordinatione celebrati, in epistola synodica ad episcopos Ægypti de promovendis clericis præcipiunt; inter quæ exigunt consensum populi, dicentes: μόνον εἰ ἄριστοι φαίνονται, καὶ ὁ λαὸς ἀποδέχεται, modo idoneus videatur, et populus illum eligat, apud Labbeum tom. 2 Conc. col. 251 lit. A. Allegant quoque singularem quemdam locum, et huc maxime, ut autumant, facientem, ex S. Chrysostomi Homilia 18 in Epist. 2 ad Corinthios, quæ habetur tom. x Editionis Parisinæ anni 1732, ubi ita loquitur sanctus Pater: Audi quippe, quomodo Apostolorum tempestate ipsi persæpe eos, quibus præerant, consilii socios adhibebant. Nam cum septem diaconos crearent, ad plebem prius retulerunt: et cum Petrus Mathiam, de ea re cum omnibus, qui tum aderant, tam viris, quam mulieribus, agitavit. Unde, inquit, constat, morem hunc requirendi consensum populi in promotione ad ordines ab ipsis Apostolorum temporibus esse deductum. Denique ex eo, quod sæpissime tumultuosus in eccle-

sia ipsa vociferationibus populus aliquem presbyterum fieri postulaverit, imo etiam quandoque coegerit, ut sibi Barcinone contigisse testatur Paulinus Epist. 6 ad Severum (in Editione Veronensi anni 1736 prima est) et de Piniano, Albinæ filio, refert S. Augustinus Epist. 225 ad Albinam, necessarium semper populi suffragium in electione sacerdotum fuisse, concludunt. Jam vero non modo non consentiente clero populoque Alexandrino, ad quos suffragium ferre de Origene spectabat, sed et eis rei istius plane nesciis, imo et inconsulto proprio episcopo, collatum fuit Origeni sacerdotium. Quæ omnia Demetrio sufficiebant, ut Origenem in exilium pelleret, et anathemate feriret. Ita illi.

17 Verum utcumque hæc, satis in speciem plausibilia, adversus Origenis ordinationem, atque adeo pro illius hoc ex capite orta damnatione militent; nihil tamen ejus ad sacerdotium promotioni officere, ac proin neque hinc dignum, qui anathemate feriretur, omnino comprobare videntur. Enimvero præterquam quod in expositione synodica Epistolæ episcoporum Ægypti atque Alexandriæ adversus Origenis doctrinam legatur tom. v Concil. col. 659: οὐτος... Ὀριγένης... πρεσβύτερος χειροτονήσῃς υπό τῆς καθολικῆς τε καὶ μὲν χειρὸς ἀληθινῆς, εἴη τὸ ἄξιωμα τοῦ πρεσβυτέρου. Hic... Origenes... presbyter ordinatus a canonica, ab una, a vera manu, dignitatem presbyteri habuit: nihil etiam reliqua, quæ allata sunt, juvare posse opinor. Quod enim special ad Apostolorum canonem (de cujus aliorumque, qui sub Apostolorum nomine circumferuntur, auctoritate disputare non lubet) dubitari potest summopere, an ab eo jam inde tempore vigerit, cum, quod narrat Photius cod. 118, congregata adversus Origenem prior synodus Alexandrina, illum a docendi quidem munere removendum, atque etiam expellendum Alexandria, minime tamen sacerdotio privandum, vel privatum declarandum sanciverit. Eone forte aut ignorantia, aut desidia congregati illic ecclesiæ ministri devenissent, ut præcipuas Ecclesiæ regulas nesciissent, vel earum prævaricatorem, a quo nihil sibi magnopere timendum habebant, debite privationis pœnæ subicere reformidassent? Ad id, quod additur, canonem scilicet illum jam ante Origenis facinus ob Valesiorum hæresim editum videri, atque a Demetrio bono esse animo Origenem jussum fuisse (nillo enim jam supra refutatam Origenis sollicitudinem, ut suum crimen celaret) liceat et mihi interrogando respondere. Cur, si per scelus illud Valesiorum hæresim sectari Origenes videbatur, non eum illico e Catecheses cathedra eiecit Demetrius? Num in forte id tantum inavidiit, cum jam ille sacerdos esset consecratus? Cur per xxxii annos ad hominis de Valesiorum errore suspecti, si non convicti, scholam conflueri perrexerunt innumeri, quorum saltem aliquibus mutilatio illa voluntaria non erat ignota? Numquid Demetrius bono esse animo Origenem jubere non potuit, quod eum, meliora edoctum, tanto ob sceleris gravitatem dolore oppressum conspiceret, ut, ne diutius docendi oneri ferendo non esset, timendum videretur? Non addo, quia non placet, Natalis Alexandri tom. 3 Hist. Eccl. pag. 699 tertium ad hanc objectionem responsum, Origenem scilicet non intendisse sui evirationem, sed tantum adhibuisse phararmacum, ex quo forte eviratio præter ipsius concilium secuta est. Incertum enim est, ipso Natale eodem loco fatente, quomodo id ab Origene sit factum; imo probabilius

frustra allegantur, ut ex citati canonis

A *lius est, teste S. Hier. epist. 41 (alias 65) et Nicephoro lib. 5, cap. 8, inquit Pagijs ad annum Christi 206, Origenem id ferro executum, tacente perpetuo ejus encomiaste Eusebio, minime illud tacituro, si, quod minus prae se fert crudelitatis, id pharmaco praestitisset. Quod si sic, quomodo eviratio praeter ipsius consilium secuta fuisset?*

epistolae S. Cornelii et Nicenorum Patrum,

B 18 *Infirmum pariter ex Epistola S. Cornelii ad Fabium, et ea, quam Niceni Patres ad praesules Aegypti dederunt, petitur argumentum: nam quod ad Novatianum attinet, manifestam hic irregularitatem, ut vocant, incurvat; adversa enim conflictatus valetudine baptismum in lectulo susceperat, jamque ante Cornelii epistolam lege ecclesiastica cautum fuerat, ne quisquam ex iis, qui, urgente vi morbi, in lectulo perfusi, id est, baptizati fuissent, ad clerum assumeretur: quod cum in Novatiano locum habuisse, clero populoque innotuisset, omnes sese illius ordinationi jure opposuere, donec precibus episcopi, obstaculum illud sua auctoritate removens, acquiescere decreverunt. Quae omnia apud Eusebium loco ab adversariis citato videri possunt. Nihil autem simile in Origene occurrit: legitime baptizatus fuerat, Caesarensis ecclesiae clerus populisque (si tamen id tum temporis necessario requirebatur) ejus ordinationem videtur consensisse, illudque suffecisse arbitrari, cum notus probe Caesarensibus esset, apud quos jam pridem summa cum laude fuerat commemoratus, et ad quos nunc secundo diverterat, ut adeo de ejus vivendi norma ac probitate ferre testimonium possent. Deinde si quid ex Cornelii literis deduci potest, solum illud est, noluisse episcopum ob scandalum refragantis cleri et populi prius ordinare Novatianum, quam ista refragatio, adeoque et scandalum periculum sublata fuissent. Porro longe aliud est, non refragari alicujus ad ordines promotioni, quod prudenter scandali vitandi causa necesse putabatur; aliud positivo consensu eam approbare, quod semper requisitum non ostenditur. Patrum vero Nicenorum synodica epistola, non ante annum 325 scripta, ab Origenis temporibus remotior est, quam ut in hoc negotio ea standum videatur. Adde, quod synodi Nicenae Patres de solis episcopis, a Miletio Schismatico consecratis, agant, ut fuse probat Valesius in Annotatis ad lib. 6, cap. 43 Hist. Eccl. Eusebii.*

C verborum S. Chrysostomi

19 *Quid autem ad verba S. Chrysostomi, morem illum, ut populus alicujus ad clerum assumptioni consentiat, ab Apostolis deducuntis? Dicitne sanctus Doctor, Apostolos semper, an vero persaepe eos, quibus praerant, in hujusmodi rebus concilii socios adhibuisse? Quod de Mathiae electione ad Apostolatam asseritur, nihil probat contra Origenis ad simplex sacerdotium assumptionem, qua in re non semper leguntur Apostoli, eorumque ad Orogenis tempora successores, populum consuluisse, vel illius requisivisse assensum. In electione autem diaconorum Apostoli non necessitate, sed prudentissimo ducti consilio ad populum recurrendum arbitrati sunt, ut excitatum a Graecis adversus Hebraeos murmur eo compesceretur facilius, quo gratiores futuri ipsis essent ministri, quos ipsi sibi delegissent. Restat, ut argumentum, a tumultuosis plebis vociferationibus, ac Paulini Pinianique exemplis petitum, non magni etiam hic esse roboris ostendam. Solum enim hinc probatum video, populum quandoque viri alicujus probitate permotum parum attendisse, quid leges et Ecclesiae statuta, numquam sane*

istiusmodi tumultus ac vim approbantia, exigent, atque, cum alia via ad propositum finem pertingere se non posse conspiceret, ad unicum, quod supererat, turbarum ac coactionis remedium confugere sibi licere, perperam existimasse.

20 *Non obstantibus iis, quae hactenus disse-* et litterarum commendatitiarum refutatione constat;
ruimus, dissimulare non possum, certum esse ex Eusebio et S. Hieronymo, praedictam Origenis ordinationem aegerrime ab Demetrio latam fuisse, eumque de illa fuisse conquestum: admittere tamen nequeo, quae scribit Natalis Alexander tom. 3 Hist. Eccl. pag. mihi 698, Demetrium inique litem movisse Origeni (cur non addit: et Theoctisto atque Alexandro, quos secundum Eusebium lib. 6, cap. 8 accusationibus suis conatus fuerat involvere?) ejusque ordinationem solo invidiae motu impugnasse, cui testimonialibus literis (de quibus solus meminit Hieronymus de Script. Eccl. cap. 54 et 62) fuerat antea suffragatus. Persuadere enim mihi nullatenus possum, testimoniales illas literas (Hieronymo ecclesiasticam Epistolam) aliquid commendationis pro suscipiendo presbyteratu, quem ipse Demetrius, si id aut necessarium, aut utile judicasset, profecturo Origeni conferre facile potuerat, contumisse: nam cur Eusebius, ubique in Historia ecclesiastica tam sollicitus, ut omnem ab Origene in Demetrium culpam detorqueat, nullum ibi de iis verbum facit? Cur ne ipse quidem Origenes in famosa illa Epistola, quam Alexandria profectus ad amicos dedit, et qua tota, teste Hieronymo, Patriarcham suum et clerum lacerat, de his nihil meminit literis, quibus pro se nihil allegare potuisset solidius, nihil ad detegendam infringendamque adversarii calumniam accommodatius? Eone impudentiae dementiaeque devenisse Demetrium putemus, ut cujus paulo ante per literas commendatitias ordinationem efflagitasset, eidem jam collatae sese opponeret, minime cogitans, quam nullo negotio suarum litterarum exhibitione posset redargui? Adhaec cur Origenem ordinandum commisisset iis ipsis, apud quos antea tamquam de juris sui violatione fuerat conquestus, quod ecclesiae suae homini laico Scripturas exponere, populumque in sacris aedibus docere permisissent? Quibus omnibus inducor, ut credam, primo S. Hieronymum citatis de Script. Eccl. locis fuisse interpolatum, ut in illius libri editionibus atibi saepissime factum, observant editores Operum Hieronymi, vel eum fuisse ab Origenis fautoribus deceptum, quemadmodum in putatitio S. Pamphili pro Origene Apologetico sibi evenisse fatetur in Apologia sua adversus Rufinum; vel denique illud tunc temporis ab eo fuisse conscriptum, cum Origenem necdum plenius nosset: deinde, commendatitias hujusmodi literas fuisse Origeni datas, quibus rogarentur Episcopi locorum, per quae ipsi in Achaiam erat transitus, ut eum benigne in suscepto itinere exciperent, et, quo maximo possent, favore prosequerentur. Ut ut est, certe Halloixius, quo alium Origeni amiciorem nescio, lib. 1, cap. 11 Vitae Orig. hanc consecrationem, proprio Antiste non consulto factam HAUD INJUSTAM videri offensionis DEMETRII occasionem, candidè profitetur.

21 *Tertiam Origeniani eacili causam, admissum ab eo idolatriae scelus fuisse, aliqui opinantur, inter quos illustr. Huetius lib. 1 Origen. cap. 2. Citant vero illi, ducemque sequuntur S. Epiphanium Hæc. 64, cap. 2 narrantem, Origenem, cum eximia sanctitatis et eruditionis laude Alexandriae floreret, Magistratum et Praefectorum*

nec denique ab commissum idolatriae crimen, de quo varie

AUCTORE
I. H.

ctorum civitatis in se ita animos conciliasse, ut, quo necessario fama excideret, comprehenso illi aut idolis sacrificandi, aut turpissimum crimen cum Æthiope committendi, fecerint optionem: illum autem sacrilege venerari deos, quam execrandam pati spurcitiem maluisse. Atque hoc modo (inquit Epiphanius cit.) et a martyrii gloria Confessorum, Martyrumque, qui illis temporibus erant, iudicio excidit, et ab Ecclesia dejectus est. Cui quidem opinioni post Epiphanium adhererunt plurimi, Nemesius scilicet, Justinianus imp., Leontius Byzantinus, Nicetas Choniatas, aliique: eam vero ut fabulam rejiciunt Baronius, Valesius, Tillemontius et recentiorum multi, has potissimum sententiæ suæ adferentes rationes. Prima est, quod ex Epiphani narratione sequi videatur, hanc Origenis perfidiam cujusdam persecutionis tempore contigisse: at vero dum Origenes Alexandria pulsus est, nullus ibi legitur in Christianos sævisse tyrannus, nullus pro Christo sanguinem effudisse; imo jam a viginti circiter annis Alexandrina ecclesia nullis ob religionem motibus agitata fuerat. Quod advertentes alii, Origenis lapsum in idolatriam Decianæ persecutionis temporibus illigarunt: sed infelici æque conjectura, si hunc lapsum exilii, quo sub Demetrio Origenes mulctatus est, causam fuisse velint, cum ex optimæ notæ scriptoribus constet, Origenis a duabus synodis per Demetrium coactis latam condemnationem, ejusque ex urbe Alexandrina, quo deinde non rediit, expulsionem saltem in vigesimum ante Decium annum inculisse.

disceptatur:

22 Alterum, quo Origenem tanta eximant impietate, argumentum, negativum quidem est, sed quod hic non exigui roboris debet videri. Dicunt itaque, nullam de hoc lapsu apud S. Hieronymum, nullam apud Theophilum aut Vincentium Lirinensem, nullam denique apud Porphyrium ipsum reperiri mentionem. Atqui citati priore loco scriptores non erant profecto ejusmodi, ut gravissimam hanc culpam Origeni condonassent, si re vera ab eo contractam illam cognovissent; postremus vero, qui, reclamante licet veritate, Ammonium Christianis eripere non erubuerat, neque Origenem post tam enorme facinus a vera Ecclesia alienum facere reformidasset. Tertia denique eorum ratio hæc est, quod, dum prima Alexandrina synodus sub Demetrio Origenem a docendi munere removendum, et e civitate eliminandum sancivit, non tamen cum sacerdote exuendum judicavit, id utique judicatura, si de thure idolis oblato convictus fuisset, quoniam illud, aiunt illi, jam tum Apostolicis canonibus fuerat præscriptum. Quæ præterea hanc in rem adferuntur plurima, videri possunt apud Tillemontium tom. 3 Monum. Eccl. Annot. xxii in Origenem, ex quo animadversiones suas hic hausit, seu potius exscripsit, nuperus Operum Origenis editor in Notis ad cap. 2, num. 13, lib. 1 Origenianorum Huëtii, ubi lit. c satis leviter leviam admodum vocat argumenta, quibus Petavius in eruditissimis ad Epiphani Hæc LXIV Annotatis hujus veritatem historia vindicare conatur. Sive interim re ipsa lapsus Origenes fuerit, sive non, ex citatis equidem tam pro eo, quam contra illum auctoribus liquere arbitror, ejusmodi lapsum, antequam sub finem vitæ Demetrii Alexandria migraret, locum non habuisse: unde ad propositum meum concludere licet, Origenem a Demetrio, geminaque ab hoc congregata synodo non fuisse ob idolatriam condemnatum, aliam-

que proinde hujus condemnationis causam necessario exilisse, quam modo aggredimur.

23 Ea vero mihi quidem fuisse videtur per-versa hæreticaque doctrina, quæ per plures ejus lucubrationes, præsertim autem per libros, quos De Principiis inscripsit, sparsa legebatur: quos περὶ ἀρχῶν libellos, priusquam damnaretur, ab Origene fuisse conscriptos, notari necessario debet; idque liquidissime constat ex iis, quæ habet Eusebius lib. 6, cap. 24 Hist. Eccl. ita scribens: Libros item de Principiis (alia jam enumerarat Origenis Opera, Alexandria conscripta) antequam ab urbe Alexandria migraret, (Origenes) composuit. Quæ Alexandria migratio utique una est ex iis, quas ante condemnationem suam Origenes suscepit, ut ex Eusebiana narratione liquet; imo ea est, quæ, si Tillemontio hic habenda fides, quod omnino arbitror, exiguo temporis spatio damnationem ejus vel præcessit, vel statim secula est: ait enim citatus auctor tom. 3 Monum. Eccl. pag. 578: Libros hos (de Principiis) composuit Origenes, cum etiamnum Alexandria moraretur, ante annum cccxxxi. Idem testatur laudatus jam supra Origenianorum Operum editor Carolus de la Rue Benedictinus in sua Admonitione tom. 1 hisce libris præfata.

24 Sparsam jam mox dixi per plura Origenis Opera doctrinam perversam, ob quam a viris sanctitate et eruditione conspicuis quantopere vapularit, juvat exponere, priusquam ostendo, quam merito ob sola περὶ ἀρχῶν volumina potuerit anathemati subjici. S. Epiphanius Hæc. 64 hæc de dogmatis Origenis scribit: Quod ad hæresim illam attinet, cuius auctor fuit (Origenes de quo ibi agit)... pestifera illa quidem, ac veteres omnes improbitate superans, quarum errores complectitur. Nam, licet nullum sectatoribus suis usum turpitudinis imponat, absurdam tamen impiamque de Deo sententiam per summam turpitudinem (libris suis) inserit. Ex hoc enim fonte erroris sui ansam Arius accepit, ac reliqui deinceps omnes, velut Anomæi, et id genus alii. Non acriter minus eum perstringit Theophilus, XXIII Patriarcha Alexandrinus, qui anno 412 supremum diem obiit, et cum S. Epiphaniio perpetuum adversus Origenem, ejusque sectatores bellum gessit. Hic lib. 1 Paschali in hunc modum suam de Origene illicque eo tempore adherentibus sententiam profert: Sciant igitur, se hujus solennitatis alienos non posse nobiscum celebrare Dominicam Passionem, qui Origenem... HYDRAM OMNIUM sequuntur hæreses, et erroris se habere magistrum et principem gloriantur. Tum aliquot ipsius recensitis erroribus subnectit: Omnes hæreticos magnitudine blasphemiam superat. Ac tertio ibidem de Origene Dei omnipotentiam certis terminis circumscribente sic loquitur: Non puto, quempiam, non dico hominum, sed ne demonum quidem, hæc de eo audere confingere, quæ ille (Origenes) et sensit et scripsit, tantam Deum fecisse materiam, quantum ornare poterat, et in rerum formas dividere. Mitto plura, quæ passim in his libris Paschalibus per se lector inveniet.

25 Ad S. Hieronymum, cui plurima Origenis Opera admodum perspecta fuere, utpote qui aliquot illorum Latinitate donavit, quique Epist. 41, se scire universa, quæ scripsit Origenes, fateatur, modo progredimur. Et quoniam animis multorum, Rufinum sectantium, hæc opinio insederit, plura ab Hieronymo ex odio in Origenem, quem miratus sæpe fuerat, sæpius laudat,

D

sed ob tradi-
tam in libro
hæresim.

E

de qua S. Epi-
phanii libro
viii.

F

etiam S. Hiero-
nymo, qui,
cur Origenem
laudavit, ipse
edidit.

A *rat, fuisse conscripta, juberit, ipsum sanctum Doctorem laudum a se aliquando Origeni datarum rationem suis verbis reddentem audire. Itaque in Epistola ad Tranquillinum anno 398 data, quæ est 56, (alias 76) hæc habet: Ego Origenem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium. Epistola 41 Pammachium et Oceanum edocet, quid in Origene laudavit, quid improbarit: Laudavi, inquit, interpretem, non dogmatistam; ingenium, non fidem; philosophum, non apostolum. Et quia nonnulli, eum aliquando secutum fuisse Origenis opiniones, putabant, statim subjungit: Quod si volunt super Origene meum scire iudicium, legant in Ecclesiasten Commentarios: replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina, et intelligent, me semper ejus dogmatibus contraxisse. Quæ enim stultitia est, sic alicujus laudare doctrinam, ut sequaris et blasphemiam? Ulimis hisce verbis pene similia eundem in finem repetit Epist. 3 ad Paulinum, quæ in editione citata est 51 (alias 153.) Tum laudatam Epistolam 41 ita concludit: Hæc, fratres amantissimi, ad epistolam vestram celeri sermone dictavi, vincens propositum, ut contra eum scriberem, cujus ingenium ante laudaveram. Lib. 1 Apol. adversus Rufinum solvens objectionem ex eo petitam, quod Origenem dixisset Diligentem lectorem, ait: Solemus..... et molestos pedagogos et argutissimos fures Diligentes vocare. Libro autem tertio ita Rufinum alloquitur: Eodem fervore, quo Origenem ante laudavimus, nunc damnatum toto orbe damnemus.... Erravimus juvenes (nimum forte ob legentium imbecillitatem laudantes Origenem) emendemur senes. Ac deinde ita pergit: Ignosce mihi, quod Origenis eruditionem et studium Scripturarum, antequam ejus hæresim plenius nossem, in juvenili ætate laudavi. Denique, ne lectori ulterioribus sancti Doctoris in hanc rem testimoniis tedium pariam, ibidem, in Origene, inquit, miramur scientiam Scripturarum, et tamen dogmatum non recipimus falsitatem. Neque hic aliquid repono ad famosissimum illud, quod objici solet, et quo tantopere gloriantur Origenis patroni, divi Hieronymi effatum, ex Fragmento Epistolæ ad Paulam supra num. 12 a nobis exhibitum, quoniam omnis, quæ inde C oritur, difficultas a Stiltingo nostro tom. ult. Septembris in Vita istius Sancti num. 769 penitus soluta est. Unde colligas, in quo, et quo tempore Origeni fecerit S. Hieronymus, eosque corrigas, qui asserere non sunt veriti, hunc Sanctum antea Origenem secutum, postea omnia illius Scripta damnasse: quod utrumque jactabatur olim ab Origenis amatoribus, quodque etiamnum quidam neotericis jactitant, aut certe de Hieronymi mutatione ita loquantur, ac si ab amore nimio ad extremum odium subito fuisset delapsus.*

testimonia

26 Modo, quid de Origene ejusque lucubrationibus sanctus Doctor senserit, paucis proferamus. In Epistola 87 (alias 78) hæc ad Pammachium et Marcellam scribit: Qui parvulum Christum foverant, adultum fidei calore defendunt, ut, qui per illos effugerat Herodis manus, effugiat hæreticum blasphemantem. Et ne dubium sit, quin posterioribus verbis Origenem designet, illico adjicit: Quem Demetrius Alexandri urbe pepulit, toto orbe fugat Theophilus. Tum, quibusdam interjectis, prosequitur:

En, Papa-Theophilus toto Origenem arguit libertate hæreticum esse. Ubi cum Origenem toto orbe a Theophilo ob hæresim fugatum, manifeste innuat, atque huic damnationi statutam a Demetrio Origenis expulsionem annectat, primum est judicare, significatum voluisse Hieronymum, illum pariter ob hæresim a Demetrio Alexandria jussu exulare. Libro 2 Apol. adversus Rufinum, Ergo, inquit, beati episcopi Anastasius et Theophilus et Venerius et Chromatius, et omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum synodus, qui pari sententia, quia pari et spiritu, illum hæreticum denunciavit populis, fures librorum illius judicandi sunt? Quæ interrogatio aperte negationi æquivaleret, indicatque, antistites illos non ob aliena, aut a malevolis ejus scriptis inserta dogmata Origenem condemnasse. Plura dein, nec minus gravia, nec minus manifesta dabit sanctus Doctor, ubi ad libros de Principiis fuerit perventum. Operæ interim pretium erit, quorundam aliorum de Origene sensa investigare.

27 Sanctus imprimis Pachomius, ut liquet ex ejus Vita quam in Opere nostro tom. 3 Maii invenies, tanto præ reliquis Origenem seu ejus Opera prosequatur odio, ut universos, quibus præerat, fratres sollicitius admonere consueverit, ut non solum Origeniana commenta non legerent, sed ne legentibus quidem aurem præberent. Cum autem, ut narrat ejusdem Vitæ auctor, in quodam Origenis volumen casu incidisset, statim illud summa cum indignatione in aquas conjecit, addens continuo, se omnes garrulitates blasphemiarum ejus concrematurum fuisse, nisi scivisset, nomen Dei in eo esse conscriptum. Petrus de Marca in Dissertatione sua de Vigilii Decreto, quam apud Labbeum tom. 5 Con. col. 601 consule, citat Epistolam synodicam a Sophronio Patriarcha Hierosolymitano, qui ante sextam synodum floruit, ad Sergium Constantinopolitanum datam, in qua proficitur, se amplecti cum ceteris quatuor synodis quintam synodum œcumenicam, quæ confirmat concilium Chalcedonense; tollit vero, et funditus abolet principaliter quidem insanum Origenem. Photius cod. 18 Biblioth. de Origene refert, eum in quinta synodo, lectis prius Actionibus, in quibus tractabatur de famosis tribus capitulis, fuisse cum Scriptis suis anathemate damnatum. Hisce denique unicum Orientalis Chronici adjungo testimonium. Sic habet in Demetrio: Sanctus iste Patriarcha sacerdotio amoverat quemdam nomine Origenem, qui astu presbyterium obtinuerat ab episcopo Cæsareæ Palæstinæ; quare reversum Alexandriam noluit recipere (imo damnatum deinde retinere) pater Demetrius, quoniam hæreticus erat. Quæ satis crude in Origenem dicta forte non existimasset Solerius in Patriarchis Alex. num. 124, si cum citatis supra ac deinde citandis contulisset. Verum ad id, quod caput est, convertamur, libros inquam de Principiis, quibus, ut superius num. 24 innui, præcipue videtur tribuenda justa Origenis condemnatio.

28 In his quot monstra errorum, quot Origenis deliramenta (verba hæc sunt Petri de Marca cit.) continentur, ex superstite etiam nunc lib. 1, cap. 2, num. 10 licet conjicere. Hic enim docet, Deum esse omnipotentem, non quod omnia possit efficere, sed quod potestatem habeat in omnia, quæ sunt. Quod crimen ei objicit Theophilus Alexandrinus in prima Epistola Paschali, et Justinianus imperator ad calcem Epistolæ

AUCTORE
I. H.referuntur,
E

P

ac præsertim
ob libros de
Principiis,

AUCTORE
I. H.

stolæ ad Menam, et ad quod refellendum, vanum Origeni patrocinium præbuisse Halloixium lib. 4 Origen. Defens. Quæst. 6. recte observat illustr. Huëtius lib. 2 Origen. Quæst. 1. num. 2 Auctorem hunc, minime sane Origeni infensum, proderit audire, ita citati libri 2 Quæstionem 3 ordientem: Vulgatum et in scholis receptum Theologicarum disputationum ordinem hic deserimus, assectantes Origenem, cujus ut abnormes fuerunt plurimæ de rebus divinis sententiæ, ita peculiari... divisione tractanda sunt... ergo... rejectis, quæ ad Angelos... aliaque... pertinent, quæstionibus, Origenis de verbi *ἐκκαθάρσις* et *δικαιοσύνη* perscrutemur decreta, si quæ sunt obnoxia reprehensionibus, et animum possunt offendere lectoris orthodoxi. Ac sunt certe, neque pauca, quæ ab ejus ventilata et confutata adversariis, æterna nomini ejus stigmata imposuerunt.

in quos maxime invehitur Hieronymus

29 S. Hieronymus, cujus de hisce libris iudicium a me referendum, fui pollicitus, Epist. 127 (alias 16) ad Principiam impia vocat *περὶ ἀγῶν* volumina, et quæ dum in Latinum vertit, hæreticum illorum auctorem prodidisse se, ait lib.

B 1 Apol. contra Rufinum; in ea vero, quam ad Avitum dedit, et quæ est 94 (alias 59) postquam retulerat, sanctum virum Pammachium, ad quem libros illos ex autographo in Latinum translatos miserat, ad primam illorum lectionem exhorruisse et reclusisse scrinio, ne prolata in vulgus, multorum animos vulnerarent; sunt enim (ut habet Epist. 41, alias 65) venetata illius (Origenis in his libris) dogmata, aliena a Scripturis, vim Scripturis facientia; hæc scribit: Accipe (Opus de Principiis) quod petisti: sed ita, ut scias, detestanda tibi in eis esse plurima; et juxta sermonem Domini, inter scorpiones et colubros incedendum. Tum expositis prolixa enarratione erroribus, quibus quatuor isti libri scatebant, et in quorum præcipue primo Origenes lingua sacrilega blasphemavit lib. 2

C Apol. contra Rufinum, his verbis Epistolam concludit: Quisquis igitur hos voluerit legere (de Principiis) libros, et... ad terram reprobationis pergere, necubi a serpentibus mordeatur, et arcuato scorpium vulnere verberetur, legat prius hunc librum (hanc epistolam.) Acceperat sanctus Doctor translata a Rufino librorum *περὶ ἀγῶν* exemplaria, et cum de versionis hujus fidelitate ambigeret, ea statim percoluit, ac dein cum Græco, quod certe genuinum se tenere existimabat, contulit, et illico animadverti, inquit lib. 1 Apol. cit., quæ Origenes de Patre et Filio et Spiritu Sancto impie dixerat, et quæ Romanæ (id est Catholicæ) aures ferre non poterant, in meliorem partem ab (infideli) interprete commutata. Quæ quidem verba, præterquam quod impiam dicant Origenis doctrinam, maxime etiam contra eos faciunt, qui omnia Origenis Opera vel ab hæreticis, vel certe a malevolis interpolata depravataque, per fas et nefas contendunt. Infinitus sim, si, quid-

quid adversus hoc Origenis Opus hac præsertim Apologia S. Hieronymus complectitur, vel indicare voluero.

30 Neque porro aliter posteriorum temporum scriptores plurimi, quorum unum dumtaxat alterumque citabo, de hac perversa Origenis lucubratione senserunt. Ac Photius quidem, cui secundum Operum Origenis editorem Carolum de la Rue tom. 1, pag. 42 quatuor hosce libros Græce legere seculo etiam IX licuit, in sua Bibliotheca cod. 8 scribit: Lecti sunt Origenis de Principiis libri quatuor. Horum primus De Patre et Filio et Spiritu Sancto agit. Quo in libro plurima blasphemæ scribit... Tradit et alia (iisdem in libris) absurdissima, impietatisque plena: animarum migrationes, et animata sidera, pluraque id genus nugatur. Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius ad annum Christi 232, num. 3 quid ipse de libris *περὶ ἀγῶν* censeat, hoc modo exponit: Porro inter omnes, quos (Eusebius) enumerat Commentarios Origenis, ille præ ceteris densioribus, majoribusque est refertus erroribus, quem de Principiis scripsit. Deinde cum dixisset, Origenem in libris illis philosophum videri voluisse potius, quam Christianum, subjungit: Vix credi potest, quantum acceptam a majoribus Christianam fidem Commentario illo prodiderit. Unde et hunc numerum ita absolvit: Hæc autem ad JUSTAM DEMETRII IN EUM INDIGNATIONEM de vulgato ab Origene Periarchon sint addita. Ubi nostræ de Origenis damnatione sententiæ manifeste favet; cui et consonant, quæ leguntur sub finem cujusdam Epitaphii a Mabillonio tom. 2 Analect. pag. 660 citati, quod in vetustissimo codice Corbeiensi libris de Principiis præfacum reperit: sic habent:

Sola mihi casum Periarchon dicta dederunt,

His me conjectum undique tela premunt.

31 Jam vero cum tot sanctorum eruditorumque virorum testimonis impia, sacrilega, blasphemæ in libris maxime de Principiis tradidisse Origenes convincatur, quæ nunquam legitur retractasse; cum libros illos ante condemnationem suam elucubrasset constet, ac verisimillimum sit, illos ab eo vel publice auditoribus suis expositos, vel etiam in manus fuisse traditos, unde facile in tot tantarumque impietatum cognitionem vigilantissimus Præsul Demetrius poluerit devenire, nonne tantum non certum est, Origenem ob dogmatum perversitatem a sancto Patriarcha, ac gemina ab eo congregata tum episcoporum, tum sacerdotum inferiorum synodo jure meritoque fuisse damnatum? Quæ opinio tanto ad veritatem accedit propius, quanto minus certior aliqua, ut supra conatus sum ostendere, Origeniani anathematis causa possit adferri. Atque hæc quidem omnia in medium sunt prolata, tum ut Majorum meorum fidem liberarem, tum maxime ut Demetrii æquitatem sanctitatemque nihil ex hoc capite detrimenti passam demonstrarem.

condemnatus
statuitur.

